

# ULGERII EPISTOLÆ.

## I.

*Ad Lucium II papam. — Odonem S. Martini Turonensis decanum commendat.*

(Vide in Lucio II, inter variorum epistolas ad ipsum, *Patrologie* tom. CLXXIX, sub num. 2.)

## II.

*Ad eundem. — Ut Robertum priorem S. Cosmae Turonensis benigne suscipiat.*

(Vide ubi supra, sub num. 3.)

## III.

*Ad clericum Andegavensem. — Milites Templi Hierosolymitani commendat.*

(*DUCHESNE, Script. rer. Franc.*, IV, 770.)

Ulgerius Andegavensis indigne dictus episcopus, archipresbyteris, archidiaconis, prioribus, presbyteris, et omni clero in Andegavensi episcopatu constitutis, vitam quæ finem beatitudinis nescit.

Mandamus vobis atque rogamus et supplicamus, quatenus hos fratres nostros, cum ad vos venerint, benigne et affectuose suscipiatis, et ecclesias vestras ad prædicandum eis exponatis, et corda vestrorum parochianoru[m] ad impendendas eis eleemosynas suas largissime inclinetis. Iste enim sunt nutriti, et officiales et commilitones militantium Christo in sacrosancto Templo Domini Jerusalem, quorum militia sine dubio vera est, et Deo gratissima. Quæ abjectis secularibus desideriis, videlicet gaudiis nupcialium et omnimoda voluptate, et expers pro-

A prietatis, professa arduam religionem, ut aeternam consequatur beatitudinem, contra hostes Dei, qui sanctam civitatem Jerusalem, et alias Orientales persequuntur, pugnare elegerunt; nec dubitant dare animas, et fundere sanguinem, dum deleant et exterminent gentiles impios a sanctissimis locis, quos Dominus elegit nullitat[i], et passioni sua, et conversationi. Nos vero cupientes participes esse eorum beatitudinis et sortis, concedimus, ut si ecclesiæ sint interdictæ, ad quas illi tendent, in adventu eorum semel in anno, uno die ad honorem Dei et eorum solemniter pulsatis signis celebretur divinum officium in ipsis, admissis omnibus parochianis: exceptis excommunicatis, et si qui sunt fratres eorum, qui signum, vel habitum, aut vitam eorum habeant, ea vice, si mortui sint, sepeliantur. Hos diligit et amplectitur papa Roma[n]us et tota Romana Ecclesia, et omnes qui Deum amant. Omnibus vero, qui sua beneficia eis porreverint, quintam partem poenitentia peccatorum, quæ confessi fuerint, relaxamus. Valete.

## IV.

*Ad Sugerium abbatem S. Dionysii. — Nuntiata Petri Berguensis abbatis morte, roget ut successorem ejus Robertum benigne suscipiat.*

(Exstat in serie epistolarum Sugerii ordine tertia. Vide *Patrologie* t. CLXXXVI, col. 1348.)

# ULGERII TESTAMENTUM

(*Gall. Christ. vet. t. II, p. 134.*)

In nomine Domini nostri Jesu Christi, ULGERIUS, episcoporum minimus, RICARDO decano ecclesiæ B. Mauricii Andegavensis, et toti conventui ejus in perpetuum.

Patientia misericordis Dei in providentia sedis Andegavensis contra mores et vitam nostram constituti, licet gravitate exsilii, et aliis multis incommoditatibus impediti, nonnulla supra vires enientes, Dei gratia acquisivimus quasdam ecclesias et vicos, laborantes ædificavimus sane non modice, qualitate et quantitate peccatorum nostrorum, quæ tæpe ad memoriam revocabamus, perterriti. Trahente nos illa sententia: *Date et dabitur vobis (Luc. v:), eligimus dare ecclesiæ B. Mauricii, de cuius visceribus et medullis processerant expensæ quæ ad hoc fuerant necessariæ et efficaces, et nobis et successoribus nostris illa quæ super scriptissimus:*

C Furorum Calomnæ quem dedit nobis in eleemosynam Turpinus de Ramoforti, et uxor ejus Villana, et mœlendinum quod est in excluso Roberti de... Et census qui sunt in porta Andegavensi, qui fuerunt Ilelenoti, et Lagenarium de Transmeduana, et dimidiæ ecclesiam S. Clementis de Platea, et ecclesiam S. Mauricii de Bosco juxta Bellamnoam, et ecclesiam et vicum S. Philippi cum pertinentiis suis, et dominium Ecclesiæ Grugii quod dedit nobis Philippus de Sauconay, et impositionem ipsius sacerdotis, et ecclesiam de Castello, præter partem illam quam habet abbatia S. Albini, et ecclesiam S. Quintini cum capella sua, et terram, quam ibi habemus in novo vico de Samonaco, et ecclesiam de Loigniaco, et vicum Sancti Egidii cum ecclesia post mortem Radulphi archidiaconi, ecclesiam de Poimellis, ecclesiam de Alenconio et de Chemerario,